

1487 nymus Saornianus, summo in Forojuliensibus natus loco, cuius proavus Federicus ob singulare atque præclarum in rempublicam studium, & civitate ab ea, & jure comitiorum donatus fuerat, cum suis clientibus, & agrestium manu, quam celeriter coegerat, atque armaverat, superatis Alpium, quæ adiri non consueverant, jugis, illos omnia vastantes ac depopulantes a tergo aggressus ita frexit atque concidit, ut nonnulli timore incitati e montium, in quibus erant, cacuminibus rupibusque fugientes se præcipitaverint: qua de re gratiæ illi a Senatu actæ, militesque tercentum attributi, quos Hieronymus Jacobo fratri habendos permisit, cum ipse pacatæ ac civili fese vitæ, quam militari, mallet tradere. Sed dum reliqua sic, ut dixi, agerentur, Rovereti arce muralibus tormentis prope diruta, Prætor quique cum eo erant milites, ditionem faciunt.

Et jam summa ætas præterierat, cum veteris exemplares utrumque exercitum spectaculo haud magnopere cruento tenuit. Erat Germanorum numero juvenis acer & fortis Georgius Sonnembergius, claro loco natus, qui turmæ equitum præerat. ad hunc cum esset allatum, Antonium Mariam Severinatem, imperatoris filium, inter suos jactavisse, si ex hostium copia egregius vir quispiam equestri pugna congredi velit, se cum illo decertaturum, proque sua parte ostensurum, quantum belli gloria Itali Germanos antecellant: mittit ad Venetos tubicinem, qui Antonio denunciet, se paratum esse certaminis fortunam experiri. Remissus ad Georgium tubicen refert, expectari cupide illum ab Antonio: itaque die dicta clausum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina castra spatio diversa ex parte uterque armatus atque adornatus fese intulit: & parva interjecta mora, citatis equis concurrunt. Antonius hastam in Germani pectus infringit: thorax ægre hastæ impetum sustinet. tum vero equus Antonii jam incitatior, neque sat habilis contineri, in trabales campi munitiones ita impegit, ut iis perfractis atque disiectis, ipso humili prolapsio, Antonius se ejiceret.

*Germani
cum Italo
singulare
certamen.*

Ita-